

quod non fit, nisi illud detestando, et de eo dolendo, cum proposito emendationis: atqui martyrium non tollit obligationem adhibendi remedia salutis ordinaria, si adhiberi possunt; sed potius facit ut illa obligatio hic et nunc vigorem habeat, cum hominem in periculo mortis et extremi certaminis constituat. Neque ille dolor distrahet animum, aut debiliorem reddet circa martyrium; sed magis excitabit et confirmabit. Consideratio enim et dolor peccatorum efficiet, ut libentius mortem pro Christo feras; tum ut ingratitude præteritam corrigas; tum ut pro peccatis satisfacias, ut patet exemplo Bonifacii martyris, et aliorum. Neque enim martyr ita debet esse intentus cogitationi mortis pro fide subeundæ, ut non cogitet varias rationes et motiva cur eam subire et amplecti debeat.

Quod si non advertat se esse in peccato, est major difficultas. Sed utendum distinctione: si enim voluntas patiendi pro Christo talis sit, ut ex vi illius necessario sequeretur contritio vel attritio, occurrente peccato; sufficiet cum martyrio: quia est contritio vel attritio virtualis. Si autem non sit talis per se, credibile est non sufficere. Exemplum hoc esse poterit. Sit Catholicus aliquis fervens pro religione, sed vitio carnis vehementer deditus: hic ab hæreticis interceptus, repente jubeatur abnegare fidem Ecclesiæ Romanæ, et jurare in sectam Calvini; et ille amore fidei orthodoxæ et odio hæresis eligat potius mori, et priusquam alia cogitet, occidatur; non enim illa voluntas moriendi pro fide videtur esse talis, ut ex ea necessario sequeretur sit dolor de peccatis carnis, si illa memoriæ occurrerent.

80. Contra objici potest 1^o. Dominus generaliter dixit Matth. 10. 32.: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Et Mare. 8. 35. *Qui autem perdidit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam:* atqui hic confitetur Christum, et perdidit animam suam propter illum; ergo. 2^o. Quia D. THOMAS 3. p. q. 87. a. 1. ad 2. dicit: *Passio pro Christo suscepta, purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem:* atqui hinc non invenit voluntatem actualiter peccato inhærentem; ergo. 3^o. Nisi talis sit salvus, merito poterit Ecclesia de multis martyribus dubitare; ac proinde etiam pro illis orare, quod est contra dictum Innocentii supra allatum. 4^o. Decet divinam bonitatem, ut illam voluntatem acceptet pro dispositione ad hoc sufficiente ut per realem conformationem cum Christo patiente gratiam consequatur. Nec refert quod ad baptismum requiratur attritio formalis vel virtualis, nec sufficiat illa voluntas; tum quia hæc voluntas non sufficit, nisi conjuncta cum opere externo, cui annexum est illud privilegium: tum quia Patres majorem vim tribuunt martyrio quam baptismo: tum denique quia illa acceptatio mortis pro Christo in illis terroribus et doloribus, censeretur virtualis quædam dilectio Dei opere ipso exhibita; ex qua sequeretur actualis dolor, si peccatum memoriæ occurreret.

R. Ob has rationes est satis probabile, hanc voluntatem sufficere in casu proposito, et quotiescumque non advertit quis se esse in peccato: et sane ea videtur esse mens D. THOMÆ, et Cajet. supra, et Soti in 4. dist. 4. q. unica a. 11. ubi dicit, martyrium in eo solum differre a baptismo flaminis, quod sola contritione vel dilectione supra omnia cura voto baptismi constat, quod illud non requirat formalem detestationem, sed solum hunc actum:

Volo mortem pro Christo perpeti: hunc enim actum cum opere exteriori sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum quoad culpam et pœnam, si non opponatur obex complacentiæ ullius criminis. Hic tamen in duobus falli videtur. Primo, quod videatur existimare cum Vega martyrium non requirere formalem detestationem, etiamsi peccata memoriæ occurrerent; quod sine dubio falsum est. Secundo, quod putet illud solum operari per modum meriti, ut patet ex verbis Soti, quæ paulo ante habet eodem art. Inde enim sequeretur, peccatorem, dum vult pati pro Christo, mereri remissionem peccati mortalis; quod sane falsum est; nisi quis improprie et large de merito loquatur, ut se extendit etiam ad dispositionem non ultimam et aptitudinem, cum qua consistere possit peccatum. Eandem probabilem censet noster Suarez disput. 39. sect. 3. de Sacramentis. Facile tamen argumenta proposita solvi possunt. Unde

Ad 1^{um}. Dicendum est: Generales hujusmodi sententias habere tacitam conditionem vel limitationem, si necessaria dispositio, et alia requisita adsint, ut multis exemplis ostendi potest. Simili modo dicitur de baptismo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit:* et tamen requiritur saltem attritio.

Ad 2^{um}. D. THOMAS ibi non plus tribuit martyrio quam baptismo, ait enim: *Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi: unde purgat ab omni culpa,* etc. Itaque supponit aliquam formalem vel virtualementem pœnitentiam præcessisse; sicut in baptismo est necessarium.

Ad 3^{um}. Ecclesia non statim habet aliquem pro sancto martyre, nisi constet illi quomodo in confessione et passione se gesserit. Adde, rarissimum esse ut non adsit saltem virtualis attritio, quia Deus singulari modo tunc opitulatur, juxta illud Matth. 10. *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

DUBITATIO V.

QUAM VIM HABEAT MARTYRIUM, ET QUANDO CONFERAT SUUM EFFECTUM.

81. In martyrio duo sunt consideranda, actus interni, et externa perpassio. Actus interni, sunt affectus varii, ex quibus passio acceptatur; potest enim hæc acceptari ex affectu charitatis, vel obedientiæ, vel religionis, vel fidei, vel spei, vel fortitudinis Christianæ; quo posito

Dico I. Hi affectus et acceptatio ex vi illorum proveniens in justis, sunt meritorii vitæ æternæ.

Prob. Sunt enim opera pietatis Christianæ, et delent omnes culpas veniales, quarum continent virtualementem detestationem; debitum pœnarum per se non tollunt integre, sed non nihil minuunt, sicut omnia bona opera, præsertim laboriosa et pœnalia. In peccatoribus vero solum disponunt ad gratiam justificationis, idque vel proxime, ut affectus dilectionis super omnia; vel remote, ut cæteri.

82. *Dico II.* Externa perpassio pro fide suscepta, per se et quasi ex opere operato habet vim delendi omnem culpam, et conferendi gratiam justificationis subjecto debite disposito, et tollendi omnem reatum pœnæ, ut

colligitur ex testimoniis Patrum et D. THOMÆ supra. Idem docet Durandus in 4. d. 4. q. 8. n. 6. et 14., Richard. eadem dist. art. 2. q. 3. in fine, Major ibidem q. 3., Suarez disp. 39. et plerique alii recentiores.

*Ratio est, quia si vis delendæ omnis culpæ et pœnæ collata est baptismo, eo quod sit mystica quædam configuratio mortis Domini, ut ex Apostolo ad Rom. 6. constat, multo magis conveniebat hanc vim tribui martyrio, quæ est talis conformatio cum Christo moriente. Hanc rationem aperte habet CLEMENS L. 5. c. 5. et reliqui Patres, qui martyrium vocant *baptismum sanguinis*. Unde recte Durandus supra, num. 6. *Non minus, inquit, operatur passio Christi ad salutem in eo, qui ei conformatur secundum realem susceptionem, quam in eo, qui conformatur ei solum secundum figuralem representationem*. Et in fine: *Martyrium non solum habet efficaciam a charitate patientis, licet illa requiratur secundum Apostolum; sed ex causa patiendi, et ex conformitate ad passionem Christi: propter quæ virtus passionis Christi æque plene vel plenius communicatur martyrio quam baptismo*: ubi nota, Durandum requirere charitatem, non ex qua martyrium procedat, sed quæ adsit una cum martyrio, saltem in fine; quam ipsum martyrium adducere potest: quænam autem ad hoc dispositio requiratur in peccatore, patet ex dubit. 4.*

83. Hinc sequitur, martyrium in homine justo habere vim augendæ gratiæ, et tollendæ omnis pœnæ: si enim habet vim delendi peccati, et conferendæ gratiæ instar baptismi, ubi non invenit impedimentum; maxime eam confert justis, qui nihil habent gratiæ infusioni repugnans: ac proinde in ipsis gratia augebitur. Confirmatur, quia justitia est melior dispositio ad suscipiendum incrementum sanctitatis, quam attritio, quæ simul consistit cum peccato, ad primam sanctificationem; ergo si homini attritio confert gratiam, multo magis justo confert. Denique ipsum significant Patres supra citati.

84. *Petes, Utrum deleat etiam culpam omnem venialem?*

R. Si affectus nullo modo ei inhæret, valde probabile est deleri; quia tunc voluntas patiendi pro Christo potest censeri sufficiens dispositio, ut accedente ipsa passione, illa peccata deleantur: quod sane multo credibilis est de venialibus, quam de mortiferis.

Si vero affectus illi actu inhæret, quidam putant adhuc deleri, non quidem eo ipso tempore quo inhæret, hoc enim contradictionem implicat; sed postea, vel saltem post mortem; ut si affectus ille peccati venialis duret toto tempore martyrii. Ita Gregorius a Valentia disp. 8. quæst. 2. p. 2. Idem videtur sentire Cajetanus 3. p. quæst. 87. a. 1. ubi dicit: *Si quis ivisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, et interim dormiens occideretur pro Christo: crediderim ego ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequi; quamvis per baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatem actualiter actualitate virtuali inhærentem*.

Sed hæc sententia non videtur consentanea D. THOMÆ, qui eodem loco ad 2. satis insinuat, martyrium non habere majorem vim delendi peccati, quam baptismum; nec delere peccatum veniale, si voluntatem invenerit ei

actualiter inhærentem, sicut hic invenit, saltem actu virtuali, ut Cajetanus fatetur. Neque etiam veritati, quia ad remissionem peccati actualis, cessante jam actuali vel virtuali inhærentia, semper requiritur aliquis motus animi, quo peccatum illud actu vel virtute displiceat; ut aperte docet D. THOMAS supra. q. 87. a. 2. ad 2. qualis est contritio, attritio, displicentia peccati, dilectio Dei supra omnia, voluntaria susceptio ejus quod peccati est remedium, v. g. susceptio baptismi, pœnitentiæ, extremæ unctionis, et aliorum Sacramentorum, juxta D. THOMAM eadem q. a. 3., denique acceptatio martyrii; sed de hoc plura alibi.

Quod attinet ad momentum temporis, quo martyrium suum effectum confert, Cajetanus 2. 2. q. 124. a. 4. ad 2^{um}. argumentum Martini, insinuat conferri in instanti vitæ terminativo. Ratio ipsius est, quia in eo instanti martyrium terminatur, et adhuc existit veluti in termino, et homo tunc adhuc meretur veluti in termino; ergo tunc effectum suum confert. Confirmari potest hæc sententia; quia sicut Sacramenta conferunt gratiam in instanti terminativo, quo perficiuntur, ita etiam martyrium: atqui hoc in martyrio est instans mortis; ergo, etc.

Sed hæc sententia non videtur probabilis, si illud momentum ponatur vitæ extrinsecum, sicut Cajetanus ponit. *Primò*, quia posset anima mereri et accipere gratiæ augmentum, jam separata a corpore. *Secundo*, fieri posset ut ipsa toto tempore, quo unita est corpori, fuerit in peccato, et caruerit fide, spe, charitate, et primo momento, quo desinit esse in corpore, consequatur fidem, gratiam et remissionem, et immediate post illud momentum videat Deum; ut patet in parvulis ante baptismum pro Christo occisis. *Tertio*, non omnes essent judicandi secundum statum, quem habuerunt in corpore; quod non est consentaneum illi sententiæ Apostoli 2. ad Cor. 5. *quemque relaturum propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*; nam id, quod ille in corpore gessit vel passus est, non est tale ut possit delere peccatum, aut efficere dignum vita æternâ: nisi accedat aliquid post unionem corporis, quod jam non est in ipso homine, sed in partibus ejus, anima et corpore, nimirum privatio unionis.

85. *Dices*, Hanc ipsam privationem tribui homini, quia illam in vita acceptavit, et supplicia ad illam necessario ducentia sustinuit.

Sed 1^o. Hoc non habet locum in parvulis. 2^o. Si ideo hoc dicitur gessisse in corpore, quia illud adhuc vivens acceptaverit; ergo acceptatio illa et passio quam sustinuit in vita, erat digna vita æterna et gratia, ante separationem animæ; ergo tunc data fuit gratia: Deus enim ne momento quidem temporis differt condignum præmium ad quod satis dispositi sumus. 3^o. Quia juxta hanc sententiam dabitur aliquod momentum in quo anima poterit consequi gratiam et remissionem peccatorum, non tamen peccare; et ita status merendi et demerendi non erunt pares: quæ omnia sunt parum consentanea Scripturis et sensui Ecclesiæ et SS. Patrum.

Si tamen illud momentum ponatur vitæ intrinsecum, ita ut homo desinat per ultimum sui esse, quæ sententia non est improbabilis; sic valde probabiliter dici potest, martyrium conferre gratiam in illo instanti; quia idem instans est terminus intrinsecus martyrii: consentaneum est autem ut effectum suum conferat in termino, sicut Sacramenta, quæ non in termino extrinsecum

sed intrinseco complentur, et gratiam conferunt. Si vero illud instans, quo vita terminatur, ponatur esse extrinsecum, ita ut homo desinat per primum non esse sui, sicut communior sententia habet; dicendum est gratiam conferri non in illo instanti, tum ob rationes dictas, tum quia illud instans non est intrinsecum passioni hominis et vitæ; sed vel in aliquo instanti, quod imperceptibiliter mortem antecedit, vel certe quando homo ex passione ita est constitutus, ut sine miraculo mors impediri nequeat. Ita docet Vega L. 6. in Conc. Trident. c. 37. in fine, Suarez 3. p. disputat. 29. sect. 3. et passim recentiores; ratio est, quia tunc martyrium censetur consummatum, mors enim extat in causa proxima et necessaria.

Dices: Tunc adhuc potest peccare et consequenter damnari.

R. Moraliter non posse peccare, quia credibile est corpus ita esse perturbatum, ut homo non possit uti ratione, vel si potest uti, adest magna gratiæ copia, quæ illum custodiat, ita non ut peccet. Accedit, quod confecto jam pene certamine, et præsentæ æternæ præmiæ, vix aliquid possit occurrere, quod hominem ad peccandum moveat; quod si miraculo curetur et supervivat, verisimile est singulari gratia custodiri, ne qui jam erat velut in januis cæli, et præmiæ pene manibus tenebat, occasione miraculi excidat. Idem probabile est de justis a mortuæ excitatis; alioquin si in eodem incerto versaturi essent, magnum incommodum ex illo beneficio reportarent: nec quisquam est, qui non summopere illud deprecaretur.

DUBITATIO VI.

QUÆ VITIA OPPONANTUR FORTITUDINI, ET QUALE IN HIS PECCATUM.

D. Thom. quæst. 125. 126. 127.

86. *Respondeo*, Tria censi a D. THOMA, et Aristotele L. 3. Ethicorum c. 7. *timiditatem*, quam Aristoteles vocat *δειλότητα*, id est, ignaviam: *intimiditatem*, quam ille *ἀφοβία*, id est, timoris vacuitatem; et *audaciam*.

Timiditas seu *ignavia* est vitium excedens in timendo, timet enim quod non oportet, vel quando non oportet, vel plusquam oportet; et deficiens in audendo, ut recte Aristoteles supra, non enim audet aggredi quando ratio dictat, aut sicut dictat: et hac consideratione apud Latinos vocatur *ignavia*, priore vero *timiditas*. Hoc vitium si in seipso sistat, nec ad alium pravum affectum vel consensum impellat, est solum peccatum veniale, sicut excessus aliarum passionum, qui nullam aliam noxam infert, nisi quod mentem perturbet, et curis cogitationibusque inutilibus impleat. Si vero impellat ad alterius peccati consensum, erit peccatum mortiferum, vel veniale, pro conditione illius ad quod impellit: ut si timore mortis, id est, ut mortem quam times evadas, paratus sis aliquid facere vel omittere, cujus commissio vel omissio est peccatum mortiferum, erit peccatum mortiferum: si veniale, erit veniale. Et hoc est quod vult D. THOMAS art. 2. quæst. 125. Hunc timorem vetuit Dominus, Luc. 12. cum ait: *Ne timeamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.*

87. Notandum est, non omnem inordinatum timorem opponi virtuti speciali fortitudinis, sed eum tantum, qui est circa pericula mortis, vel

graviorum calamitatum: in his enim solis fortitudo versatur, ut supra dubit. 4. ostensum est; ac proinde etiam vitia fortitudini adversa. Itaque alii timores mali ad alia vitia pertinent: sicut enim in omni virtute est inordinatus amor, et consequenter etiam inordinatus timor; omnis enim timor nascitur ex amore boni amati et omnis amor parit timorem, si bonum amatum potest amitti; ut ex 1. 2. q. 25. a. 1. et 2. constat; ita in omni vitio habituali est inordinatus amor alicujus boni creali, et consequenter inordinatus timor; unde intemperans timet amittere suas voluptates, avarus pecunias, ambitiosus honores; solus autem timor inordinatus amittendæ vitæ in periculis mortis adversatur fortitudini.

88. *Intimiditas*, vel potius vacuitas justis timoris est alterum vitium fortitudini oppositum, deficiens in timendo: non enim timet quando timendum aut quæ timenda. Fortitudo enim non solum reprimit timorem, ne excedat, sed interdum etiam excitat, ut malum declinetur; ut quando illud vires superat, nec est justa ratio cur sustineatur: tale est terræ motus, fulmen, naufragium, vis hostilis longe superior, denique omnia manifesta pericula mortis, quando deest causa subeundi. In hujusmodi ergo non timere, vitiosum est, quia est causa cur malum non declinetur: timere autem, laudabile, quia est causa declinandi. Huc pertinet securitas perniciose eorum, qui se manifestis periculis mortis, cum in peccato mortifero sunt, exponunt, nec æternam mortem timeant.

Provenit autem hoc vitium ex triplici causa. 1º. Ex eo quod vitam suam minoris faciat, quam oportet; qui enim aliquid parvi æstimat, non multum timet illud amittere, etiamsi periculo sit expositum: sicut autem vitiosum est, pluris facere vitam quam oportet, ut cum anteponitur virtuti; ita etiam vitiosum est, eam minoris facere quam oportet, ut cum vanæ gloriæ vel rerum temporalium causa manifesto periculo objicitur: est enim bonis temporalibus longe præstantior; tum quia res temporales sunt propter vitam humanam, ad eam fovendam, solandam, ornandam; tum quia vita ista temporalis facultatem justitiæ et meritorum vitæ æternæ suppeditat.

2º. Ex superbia; hæc enim facit ut homo sibi præfidat et alios contemnat, quasi ab illis lædi non possit; et ita non timet, juxta illud Job. 41. *Factus est ut nullum timeret: omne sublime videt.*

3º. Ex animi stoliditate; unde Aristoteles L. 3. Ethic. c. 7. ait *furiosos nihil timere*: sic quidam milites nihil timeant; quia per vecordiam non concipiunt animo quid sit mors, et quæ mortem sequantur. Hoc vitium est peccatum mortale vel veniale, pro ratione mali et periculi, cui se defectu timoris exponit: si enim sit magnum malum, v. g. mors, cui sine justa causa se objicit, erit peccatum mortale, nisi forte per stuporem animi excusetur; si autem malum sit parvum, vel periculum non sit notabile, erit veniale; vide Cajetanum in Summa verb. *Intimiditas*. Hæc tamen timoris vacuitas non est distinctum peccatum ab eo, quo quis se periculo exponit; solum enim est peccatum quatenus est causa illius, continens tacitum in illud periculum consensum.

89. *Audacia* seu temeritas hic accipitur pro excessu in audendo, et aggrediendo; cum quis, ut malum imminens repellat, aggreditur aliquid quod

non convenit, vel quando non convenit, vel quo modo non convenit. Oritur hoc vitium ex iisdem causis ex quibus vacuitas timoris, quæ est maxima dispositio ad temeritatem; plerumque tamen ex cupiditate vanæ gloriæ sicut et *jactantia*, cui ut plurimum hoc vitium est connexum: nam audaces fere sunt jactabundi, et volunt videri fortes, cum non sint; hinc fit ut plerique talium etiam sint timidi; quos Aristoteles *θρασύδειλους* vocat, quasi dicas *audacitimos*; quia audaciam cum timiditate conjunctam habent. *Initio enim*, ut idem Aristoteles ait, *sunt præproperi, et antequam res urgeat, adire pericula volunt; in ipsis autem periculis cedunt et absistunt; at viri fortes, in factis ipsis sunt acres et celeres, ante facta sedati et quieti.* Quando vero cupiditati vanæ gloriæ simul conjunctus est vitæ contemptus, vel stoliditas animi mortem non apprehendentis, tunc se in pericula cæco quodam impetu projiciunt; et persistunt, etiamsi parva sit spes victoriæ; hos Aristoteles vocat *ὑποκινδύνους*, id est, projectæ audaciæ homines, qui mortis pericula lusum faciunt et jocum, et instar belluarum depugnant: hoc vitium est peccatum pro ratione mali et periculi, cui se exponunt; sicut dictum est de timoris vacuitate.

90. Circa prædicta adverte, etsi solum tria vitia fortitudini opposita numerentur, revera tamen esse quatuor: sicut enim fortitudo moderatur timorem, ita etiam audaciam; unde sicuti peccatur contra fortitudinem excessu et defectu timoris, ita etiam excessu et defectu audendi. Verum defectus audendi continetur sub *timiditate*, qua parte hæc consistit in eo, quod quis refugit aggredi quando oportet; et vocatur proprie *ignavia*: sed sicut inter *timoris vacuitatem* et *temeritatem* est magna affinitas, ita etiam inter *excessum timendi* et *defectum audendi*. Hinc apud Aristotelem eodem nomine continentur: utrumque enim *δειλία* vocat. Latini habent nomina distincta; illud vocant *timiditatem*, hoc *ignaviam*.

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS FORTITUDINI CONNEXIS, ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I.

QUÆ SINT PARTES FORTITUDINIS.

D. Thom. quest. 128.

91. Notandum ex D. THOMA, virtuti triplices partes assignari posse, subjectivas, integrantes, et potentiales. *Subjectivas* fortitudo proprie, juxta D. THOMAM, non habet; quia ipsa est species specialissima, cum versetur circa pericula mortis, quæ omnia sunt ejusdem generis, etsi alia aliis majora. Hoc tamen intellige de fortitudine unius ordinis: nam si diversos virtutum

ordines spectemus, duplex erit fortitudinis virtus: alia enim est ordinis *naturalis*, qualis esse potest sine fide; hæc timorem mortis temperat, pericula et acerbitates sustinet, hæc tantum consideratione, quia decet hominem ratione præditum, vel Philosophiæ præceptis imbutum, vel illustri familia clarisque majoribus ortum. Alia *supernaturalis*, quæ fidem et affectum supernaturalem supponit, et prudentia supernaturali ut regula utitur. Hæc eadem sustinet, quia decet Christianum, crucis Christi cultorem, immortalitatis candidatum, etc., etsi enim istæ fortitudines circa eadem pericula et circa easdem passiones moderandas, ac proinde circa eadem objecta versentur; tamen non eandem prorsus rationem formalem in illis spectant: unde nec ob eandem causam ad suas functiones moventur, sed ob diversam, et affectibus plane diversis; qua ratione etiam in fortitudine naturali discrimen specificum fortasse inveniri posset.

92. *Partes integrantes* vocat, non ex quibus ipse habitus intrinsece coalescat, sed quæ necessariae ad integrum fortitudinis officium. *Potentiales* vero, quæ virtutem fortitudinis in materia minus difficili imitantur. Porro hujusmodi partes quatuor numerantur a D. AUGUSTINO L. 83. qq. q. 31. ex Cicerone: *Fortitudo*, inquit, *est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia*; quod D. THOMAS optime declarat q. 128. art. unico in 6. et ad 5.

Officium enim *fortitudinis* in duobus situm est; *in aggrediendo* et *in sustinendo*. Ad *aggrediendum* autem duo requiruntur. *Primo*, promptitudo animi ad periculum suscipiendum: hanc præstat *fidentia*; qui enim confidit se malum imminens superaturum, facile periculum suscipit. *Secundo*, strenuitas in executione; hanc tribuit *magnificentia*, quæ teste D. AUGUSTINO, ex Cicerone, *est rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, cogitatio et administratio*. Itaque hæc duæ virtutes, quatenus versantur in periculis mortis, sunt partes integrantes fortitudinis, concurrentes ad actum aggressionis.

Similiter ad *sustinendum*, qui est alter fortitudinis actus, duo requiruntur. Primum est, ne animus difficultate et asperitate malorum frangatur; ad hoc valet *patientia*, quæ tristitias et dolores moderatur, animumque continet ne hisce passionibus victus, a recto et decore decidat. Alterum est, ne diuturnitate malorum fatiscens, cœpta bona abrumpat et desinat; et ad hoc est *perseverantia*: quo nomine hic intelligimus non eam, quæ est justitiæ usque ad finem continuatio, sed propositum durantibus malis in cœpto perseverandi.

Ex his patet, qua ratione hæc quatuor virtutes dicantur partes *integrantes* fortitudinis; nimirum si considerentur ut versantur in propria fortitudinis materia, id est, in periculis mortis; sic enim ad integrum illius officium concurrunt, suntque veluti quædam illius membra.

Si vero spectentur in aliis quibusdam materiis minus difficilibus, dicuntur partes fortitudinis *potentiales*, quia fortitudinem imitantur, licet ejus perfectionem non assequantur; vide supra c. 46. dubit. 1. Sic *fidentia* est virtus, quæ in aliis rebus difficilibus extra pericula mortis, promptum animum præstat; *magnificentia*, quæ talia splendide exequitur; *patientia*, quæ tales difficultates tolerat; *perseverantia*, quæ in finem in illis perdurat.